

No. 249. 1279. 6. Oct. u. 10. Dec.

Der Abt des Schottenklosters und der Prior des Weissfrauenklosters zu Erfurt erklären einen Erlass des Probst Reinherus de Orio im Original gesehen zu haben, der hier wörtlich mitgetheilt wird, wonach der B. von Meissen bereits am 22. Sept. 1277 zu Magdeburg mit der Excommunication belegt wegen beharrlicher Verweigerung des päbstl. Zehentens abermals excommunicirt und befohlen wird, dies öffentlich zu verkündigen und jeden Verkehr mit ihm zu vermeiden.

Nos L. dei gratia abbas monasterii sancti Jacobi Scothorum in Erfordia et Theodericus prior albarum dominarum Erfordensium recognoscimus et praesentibus litteris sigillorum nostrorum appensione signatis publice protestamur, quod anno domini M^o. CC^o. LXXIX^o. proximo die dominico ante Luciae litteras infra scriptas non cancellatas, non abollatas nec in parte sui aliqua vitiatas vidimus et audivimus in haec verba:

Reynherus de Orio praepositus Clauarii et canonicus Leodiensis collector decimae in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provinciis ac diocesi Caminensi per sedem apostolicam¹⁾ deputatus, universis . . praepositis et . . decanis ac ecclesiarum sive capellarum rectoribus in provincia Magdeburgensi constitutis salutem in domino. Peccantis culpa eo iustius puniri²⁾ meruit, quo per abusum superbiae decumbens³⁾ diuturnius in peccato humiliando commissa non diluit, sed malum malo accumulans iustitiae ministros contra se iuste provocat ad vindictam. Quod utinam dominus . . Missenensis episcopus apud se in secreto examine saniori ductus consilio discussisset, ne renueret animo indurato inductionem salubrem monitionis canonicae, qua eum auctoritate apostolica⁴⁾ monuimus ac per alios moneri fecimus, ut nobis de proventibus suis episcopalibus secundum constitutionem domini G. papae X. decimam solveret cum effectu. Sed hoc non tantum efficere non curavit, sed quod deterius est, ipse nos quominus negotium collectionis decimae nobis auctoritate apostolica⁴⁾ commissum exequi possemus inpedivit ac per alios inpediri procuravit, iubens omnibus suis clericis suae diocesis, quod decimam non solverent ullo modo. Quamobrem nos ipsum . . dominum Missenensem episcopum eadem auctoritate apostolica⁴⁾ excommunicavimus et excommunicatum in scriptis denuntiavimus in die beati Mauritii in coro Magdeburgensi sub anno domini M^o. CC^o. septuagesimo septimo praesentibus quam pluribus de canonicis et clericis ipsius ecclesiae et etiam multitudine laycorum ad hoc vocatorum et rogatorum. Sed idem episcopus sententiam ipsam praesumptione dampnabili contumaciter sustinuit et adhuc sustinet animo indurato. Quare vobis singulis ac universis sub poena excommunicationis latae sententiae in Lugdunensi generali concilio, quam per praesens scriptum in vos ferimus, si mandati nostri fueritis transgressores, districte praecipiendo mandamus, cum eius crescente contumacia crescere debeat et poena, quatenus ipsum . . dominum Missenensem episcopum, quem in his scriptis auctoritate apostolica⁴⁾ denuo excommunicamus, excommunicatum publice nuntietis et ab omnibus artius evitandum singulis diebus dominicis et festivis. In cuius rei testimonium praesentes litteras sigilli nostri mandavimus appensione muniri. Datum Viterbi sexta die intrante Octobri anno domini M^o. CC^o. LXXIX^o.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv; das Siegel fehlt.

1) apostolicam Orig. 2) punituri Orig. 3) decumbens Orig. 4) apostolica Orig.